

ad utendum signis hujusmodi in deceptionem proximi, contra communem usum signorum apud homines.

Utrum autem juramentum obliget secundum intentionem recipientis, non est multum ad propositum necessarium. Sed super hoc dicit sanctus Thomas, 3. *Sententia*, dist. 39, q. 1, art. 3, in solutione tertiae quaestione, ubi : « Juramentum, inquit, promissorum obligat hae necessitate ut culpa evitetur. Unde obligat ad omne illud facendum, quo non facto, culpa incurritur. Distinguendum est ergo in eo qui jurat. Aut enim simpliciter, aut dolose jurat. Si jurat dolose, ex duabus partibus potest culpa sequi : scilicet ex fractione sacramenti, et ex dolo. Quamvis ergo ex ipsa ratione juramenti, in quantum juramentum, non obligetur ad servandum ipsum nisi secundum suam intentionem ; tamen ex necessitate juramenti, in quantum fuit dolosum, obligatur ad servandum taliter quod ex ejus dolo alius non ledatur ; et hoc est quando secundum intentionem recipientis impletum juramentum. Si autem simpliciter juret, absque omni dolo, tunc in foro conscientie non obligatur nisi secundum suam intentionem ; sed in foro contentioso, ubi intentio ignoratur, obligatur secundum quod verba communiter accipi solent. » — Hæc ille. — Simile dicit, 2<sup>a</sup> 2<sup>e</sup>, q. 89, art. 7, in solutione quarti : « Dicendum, inquit, quod quando non est eadem intentio jurantis et ejus cui jurat, si hoc provenit ex dolo jurantis, debet juramentum servari secundum sanum intellectum ejus cui juratur. Si autem jurans dolum non adhibeat, obligatur secundum intentionem jurantis. » — Hæc ille.

Et haec de quæstione sufficient. De qua benedictus Deus. Amen.

## DISTINCTIO XXII.

### QUÆSTIO I.

#### UTRUM PÆNITENTIA INTERIOR SIT RES SACRAMENTI PÆNITENTIE

**S**INCA vigesimamsecundam distinctionem 4. *Sententiarum* queritur primo: Utrum pœnitentia interior sit res sacramenti pœnitentiae.

Et arguitur quod non. Quia res sacramenti nūquā est causā sacramentalis signi, sed e converso quandoque. Sed pœnitentia interior est causa exterioris. Ergo non est res ejus.

In oppositum arguitur. Quia illud quod immediate causat effectum sacramenti, est res exterioris sacramenti, sicut patet de chartere. Sed pœnitentia interior est quæ immediate causat remissionem peccatorum, quæ est ultima res sacramenti hujus. Ergo, etc.

In hac quæstione erunt tres articuli. In primo ponentur conclusiones. In secundo, objections. In tertio, solutiones.

### ARTICULUS I.

#### PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

**P**rima conclusio : Quod in sacramento pœnitentiae, sacramentale signum est exterior pœnitentia, ita quod est sacramentum et non res sacramenti.

Hanc ponit sanctus Thomas, presenti distinctione, q. 2, art. 1, in solutione primæ quaestione, ubi sic dicit: « In quolibet sacramento fit quadam promotio vel motus suscipientis ad aliquam sanctitatem. In motibus autem corporalibus, quandoque illud quod movetur, non cooperatur ad motum, nisi recipiendo impressionem agentis tantum : sicut contingit in generatione, qua aliiquid accipit primam perfectionem sui esse, que est etiam primum principium activum in ipso; similiter etiam quando acquirit aliquam perfectionem superadditam, quæ limites sue forme excedit, sicut cum paries depingitur, vel cum aer illuminatur. Quandoque autem perfectio prius suscepta, est sufficiens principium illius motus; et tunc operatur motum illum; sicut patet in motu locali naturali, et in sanatione quæ fit virtute naturæ tantum. Quandoque autem perfectio habita non sufficit ad operandum effectum, sed cooperatur agenti exteriori; sicut patet cum ars naturam adjuvat. Et secundum hos tres modos etiam est motus ad sanitatem. Unde in baptismo, qui est spiritualis vitæ regeneratio, tota sanctificatio est ex exteriori; nec suscipiens sacramentum se habet active ad illam sanctificationem, sed tantum ut recipiens; unde signum sacramentale ibi est materia exterius apposita, non autem aliquis actus ex parte baptizati. Et similiter est in confirmatione, Eucharistia, extrema unctione, et ordine, quæ ordinantur ad aliquam sanctitatem superadditam primæ sanctitati in baptismo susceptæ; unde, etiam conservata gratia baptismali, illa locum haberent. Sed in promotione ad sanctitatem per viam merendi, sufficit principium quod intus habetur, scilicet gratia. Et ideo, sine aliquo exteriori

adjuncto, ad hanc promotionem, habens gratiam, per actus suos pertingit; quia in eo spiritualis vita est integra. Sed in eo qui post baptismum mortaliter peccat, spiritualis vitae integritas vel sonetitas tollitur, quia gratia et charitas tolluntur; sed tamen adhuc vita spiritualis manet in sui radice, scilicet in fidei sacramento; sicut in eo qui perniciose infirmatur, adhuc manet radix vita in corde. Et ideo ad reparationem integratatis pristinae (2), in baptismō susceptae, homo cooperari potest per id quod adhuc remanet. Non tamen sufficit, nisi exterius adjuvetur, propter hoc quod vita spiritualis non est integra. Et ideo in sacramento pénitentiae, quod ad predictam reparationem ordinatur, sacramentale signum non est aliqua materia exterius apposita, sed exteriores actus, quibus homo ad salutem suam operatur; et complementum operationis ab extrinseco significatur per absolutionem sacerdotis, sicut materia in aliis sacramentis per ministri sanctificationem efficaciam sacramentalem recipit. Et ideo exterior pénitentia est sacramentale signum in sacramento pénitentiae. » — Haec ille.

Ex quibus potest formari talis ratio pro conclusione: In sacramentali sanctificatione, qua homo per actum proprium cooperatur exteriori sanctificanti, sacramentale signum non est aliqua materia exterius homini apposita, sed actus humani, tamen recipientis quam conferentis sacramentum. Sed pénitentiae sacramentum est huiusmodi. Ergo, etc.

**Secunda conclusio** est quod in sacramento pénitentiae, res proxima, que se habet sicut res et sacramentum, est ipsa pénitentia interior.

Hanc ponit sanctus Thomas, ubi supra (dist. 22, q. 2, art. 1), in solutione secundae questiunculae, dicens: « Res sacramenti cuiuslibet, suo sacramento, cuius dicitur res, proportionatur. Exterior autem pénitentia, que est sacramentum tantum in pénitentia, est sacramentum ut signum tantum ex parte actus pénitentis; sed ut signum et causa simul, si conjugatur actus pénitentis cum actu ministri. Et ideo interior pénitentia est res exterioris pénitentiae, sed ut significata tantum per actus pénitentis, ut significata autem et causata per actus eosdem adjuncta absolutione ministri, per quam aliquo modo ad gratiam disponitur: sicut etiam in sacramento Eucharistiae, corpus Christi verum est res significata tantum per species panis et vini, sed causata per verba ministri; et illa duo conjuncta simul sunt signum et causa. » — Haec ille.

Et, ibidem, in solutione primi, sic dicit: « Pénitentia interior potest considerari dupliciter. Uno modo, prout est actus quidam virtutis; et sic inter-

rior pénitentia est omnino causa exterioris, sicut et in aliis virtutibus actus interiores sunt causa exteriorum. Alio modo, prout est actus operans ad sanationem peccati; et sic pertinet ad pénitentiae sacramentum. Et ita interior pénitentia non est causa exterioris, sed effectus, vel significatum illius: non enim habet efficaciam operandi contra morbum peccati, nisi ex suppositione propositi exterioris pénitentiae et absolutionis desiderio; quamvis pénitentia interior contra morbum peccati operans, precedat tempore exteriorum pénitentiarum, sicut justificatio a peccato interdum precedit sacramentum baptismi, propter illius propositum. »

Item, in solutione secundi, sic dicit: « Quamvis pénitentia interior, ut est actus quidam virtutis, naturaliter significetur per exteriorem; tamen, in quantum est sanativus morbi, sic ex institutione divina debet per hanc significari et causari. » — Haec ille.

Ex quibus potest formari talis ratio pro conclusione: Illud est res proxima sacramenti pénitentiae, quod significatur et efficitur per sacramentum exteriorum proxime, et non ultimate. Sed pénitentia interior est huiusmodi. Ergo, etc.

**Tertia conclusio** est quod in sacramento pénitentiae, ultima res, que sic est res quod non sacramentum, est remissio peccatorum per gratiam.

Hanc ponit sanctus Thomas, ubi supra (dist. 22, q. 2, art. 1), in solutione tertiae questiunculae, dicens: « Res ultima alicujus sacramenti est non tantum quam efficit actualiter dispensatum, sed etiam quam efficit in proposito existens; sicut patet de baptismō in adultis. Et ideo, cum pénitentia in proposito existens sacramentum efficiat remissionem peccatorum non solum quod ponam, sed etiam quod culpam, remissio peccatorum utrumque modo est res ipsius pénitentiae sacramenti. Quia aliquando tempore precedit sacramentum exteriorum; aliquando autem in ipso sacramento efficitur; quia quando aliquis accedit ad confessionem attritus, non plenarie contritus, si obicem non ponat, in ipsa confessione et absolutione datur sibi et gratia et remissio peccatorum. Unde dicit Glossa, super illud Psalmi (95, v. 6), *Confessio et pulchritudo in conspectu ejus: Si amas pulchritudinem, confitere* (2), *ut sis pulcher, id est, justus.* » — Haec ille.

Et ibidem (arg. Sed contra), arguit sic: « Pénitentia dicitur secunda tabula post naufragium, sicut baptismus prima. Sed baptismi res ultima est remissio peccatorum. Ergo et pénitentiae. — Item, curatio illius morbi est res in sacramento, ad quod

(2) *pristinæ. — præcipue Pr.*

(2) *confitere. — confiteri Pr.*

curandum est institutum. Sed poenitentia est instituta ad curandum morbum actualis peccati. Ergo remissio ejus est res hujus sacramenti. » — Hæc ille.

Ex quibus patet multiplex ratio pro conclusione.  
Et in hoc primus articulus terminatur.

## ARTICULUS II.

### PONUNTUR OBJECTIONES

#### CONTRA SECUNDAM ET TERTIAM CONCLUSIONES

**I. Argumenta Petri de Palude.** — Quantum ad secundum articulum, arguitur contra conclusiones. Et quidem contra duas ultimas arguit Petrus de Palude (dist. 14, q. 1), probando quod præter poenitentiam interiorem et peccati remissionem, sit ponenda tertia res hujus sacramenti, quæ dicatur ornatus. Et sic, cum sanctus Thomas de hoc non faciat mentionem in præsenti distinctione, videtur minus complete assignare res hujus sacramenti. Probat autem Petrus quod talis ornatus sit ponendum.

**Primo** sic. Quia homo quandoque perfecte contenterit de peccato, cum proposito confitendi et satisfaciendi; et tunc est sufficienter dispositus ad gratiam; unde statim suscipit eam sine ornatu medio, sicut per baptismum flaminis sine aliquo charactere. Aliquando vero est attritus, sed non contritus; sed superveniens confessio et absolutio, vi clavium, attritionem facit contritionem, ut recipiat gratiam. Cum ergo, secundum legem communem, nulli detur gratia nisi intus sufficienter dispositio, ex quo ipse non est sufficienter dispositus per actum suum intrinsecum, ut supponitur, ergo est dispositus per aliquid aliud; et illud vocamus ornatum. Unde res et sacramentum in poenitentia est aliquando poenitentia interior, ut quando sufficienter de se conteritur, quia est dispositio necessitans ad gratiam, ut character; aliquando est ornatus a sacramento impressus, ut quando non est actus contritionis de se perfectus, et ipse submittit se clavibus. Et, secundum hoc, non simul concurrunt iste due res, et variatur res sacramenti, et non semper imprimitur ornatus. — Si autem dicamus quod gratia sacramentalis est alia a gratia gratum faciente, dicereetur quod semper imprimitur ornatus, etiam cum contritione; nec superfluit, quia contritio est dispositio et res et sacramentum respectu gratiae gratum facientis, ornatus vero respectu gratiae sacramentalis. Ergo potest dici quod licet sacramenta imprimentia characterem, ipsum imprimant semper, sive recipiens dispositus sit sufficienter ad gratiam per contritionem, sive non, quia de alio servit character, scilicet quia deputat ad aliquid sacrum, et

consignat et distinguit; tamen sacramenta imprimentia ornatum, tunc solum imprimunt quando in suscipiente deficit sufficiens dispositio. Vel potest dici quod sicut illa semper imprimunt characterem, ita et ista ornatum, propter dispositionem ad gratiam sacramentalem, etsi non propter aliam, quia ad utramque disponunt. Verius tamen videtur quod non solum attritus, sed contritus etiam, licet non ita egeat, recipit ornatum: quia ex quo non ponit obicem, non est causa quod privetur effectu sacramenti; et tunc major gratia infundetur, propter duplum dispositionem, scilicet sacramenti et liberi arbitrii. Quando autem sic est fictus, quod non concurredit essentia sacramenti (puta in matrimonio, quia intendit decipere, non contrahere; vel in poenitentia, quia nullo modo poenitet, vel celat aliquid; aut in aliis, quando habet contrariam dispositionem, sicut in receptione Eucharistie, extremæ unctionis, si habet conscientiam mortalis de quo non poenitet), nullum ornatum recipit. In quo differt ornatus a charactere: quia characterem recipit contritus, attritus, et fictus, dum tamen velit verum sacramentum recipere; ornatum vero non recipit nisi contritus, vel attritus.

**Secundo** probat quod in omni sacramento novæ legis imprimitur aliquid præter actum suscipientis, quod est sufficiens dispositio ad gratiam etiam gratum facientem, sive illud sit character, ut in tribus, sive simplex ornatus, ut in aliis: ita quod, in Eucharistia, præter illud quod est res et sacramentum extra suscipientem, et antequam suscipiatur, id est, corpus Christi verum, in suscipiente sit etiam ornatus, qui est res et sacramentum. Et sic, sicut quaedam sacramenta habent unum sacramentum tantum, puta sola verba, sicut poenitentia et matrimonium, si ita est, et alia, res simul et verba, ut omnia alia; sic quaedam sacramenta sunt, que habent pro re et sacramento unum tantum, sicut illa que non per se requirunt actum suscipientis, alia autem pro re et sacramento habent duo diversa (a). Et hoc adhuc differenter: quia vel utraque est in suscipiente, sicut actus interior est una res et sacramentum in matrimonio et poenitentia, alia est ornatus, et sic utrumque est in suscipiente; in Eucharistia autem una res est in suscipiente, et alia in materia.

**Tertio** probat quod non solum in illis, sed in omni sacramento imprimatur ornatus, sic: Ubicumque secundum legem communem est remissio peccati actualis mortalis, et per consequens gratiae infusio, ibi est aliqua dispositio sufficiens, alia præter motum liberi arbitrii: quia ubicumque est motus liberi arbitrii sufficienter disponens ad gratiam, ibi statim est gratia, nec per consequens est peccatum mortale; gratia autem non infunditur

(a) *tantum*. — Ad. Pr.

secundum legem communem nisi sufficienter disposito, quia Deus dat unicuique secundum suam virtutem. Sed omne sacramentum nova legis, si digne accipiatur, remittit peccatum mortale, si inveniat, et, si nunquam inveniret, nunquam tolleret. Si ergo quodlibet sacramentum aliquando potest tollere peccatum mortale, ergo aliquando invenire potest. Tunc autem non est dispositio sufficiens ex parte liberi arbitrii, cum qua non stat peccatum mortale, quia illa est contritio. Ergo ex opere operato infunditur alia dispositio. Propter quod videtur quod ad hoc quod sacramentum conserat gratiam, non requiritur aliquis actus respectu effectus sacramenti in suscipiente, vel qui gerit personam ejus, sed tantum respectu sacramenti: quod scilicet ipse velit recipere sacramentum, si sit adultus et habeat usum liberi arbitrii, vel aliis pro eo, vel quod ipse voluerit; sed, respectu effectus sacramenti, solum requiriatur quod non ponat obicem, et quod faciat quod sacramenti susceptio requirit; puta, in matrimonio, quod intendat contrahere, licet non recolat de peccatis, etc.

**II. Argumenta Durandi (z).** — Contra easdem conclusiones arguit Durandus, potissime contra secundam

**Primo** (6), probando quod poenitentia interior non sit res hujus sacramenti. Quia illud quod est simul res et sacramentum, supponit illud quod est sacramentum tantum, tanquam causam instrumentalem, vel causam *sine qua non*. Sed poenitentia interior non supponit illud quod agitur exterius in sacramento poenitentiae; immo, ut communiter, praeedit. Ergo non est res et sacramentum.

**Secundo** arguit quod nec ornatus de quo loquitur Petrus, sit res hujus sacramenti proxima, nec remota. Quia ista dispositio, vel ornatus, est potentia, vel habitus. Non potest esse potentia: quia per talem ornatum non producitur novus actus; potentia autem respicit actum, et nova novum. Nec habitus: quia per habitum habemus nos ad actum bene vel male; sed per talem ornatum non habemus nos ad aliquem actum bene, nec male (7); ergo non est habitus.

**Tertio** ad idem. Quia illa dispositio, vel ornatus, aut remanet, amissa gratia; et sic esset indelebilis, et multiplicaretur solo numero in eodem, cum contingat eumdem pluries recipere sacramentum poenitentiae. Aut non remanet, amissa gratia, sed cum ea daretur, et cum illa amitteretur. Hoc autem esset frustra: quia, si non ponitur nisi propter

ornatum animae, et non propter operationem vel modum operandi, ut dictum est, gratia autem satis ornat animam sine ullo alio, videtur quod frustra ponitur. — Hæc Durandus.

**III. Aliud argumentum (z).** — Ultimo (6) potest argui contra eamdem secundam conclusio- nem. Quia res sacramentorum non sunt de jure naturali, sed mere de jure divino. Sed poenitentia interior, cum sit actus virtutis, est de jure naturali. Ergo non est res sacramenti poenitentiae.

Et in hoc secundus articulus terminatur.

### ARTICULUS III.

#### PONUNTUR SOLUTIONES

##### AD ARGUMENTA CONTRA SECUNDAM ET TERTIAM CONCLUSIONES

**I. Ad argumenta Petri de Palude.** — Quantum ad tertium articulum, respondendum est objectionibus supradictis. Et quidem, utrum de mente sancti Thomæ fuerit quod ornatus, de quo loquitur Petrus, et Bernardus de Gannato, sit prima et proxima res sacramenti poenitentiae, non recolo me legisse alicubi in dictis ejus expresse, nec sub vocabulo ornatus. Immo videretur, ex dictis ejus, quod dispositio vel preparatio hominis adulti, ratione utens, ad gratiam, non sit aliqua forma per modum actus primi se habens, sed solum aliquis motus liberi arbitrii, se habens per modum actus secundi. Quod patet: nam, 4. *Sentent.*, dist. 17, q. 1, art. 3, in solutione secundæ quæstiunculæ, sic dicit: « Gratia quæ datur ad recte vivendum et ad remissionem peccatorum, per prius respicit voluntatem quam alias potentias; per eam enim peccatur et recte vivitur. Et ideo oportet quod infusione gratiae justificantis sit secundum talem modum qui voluntati competat. Et propter hoc oportet quod a tali infusione omnis ratio violentiae excludatur, quia violentiae voluntas capax non est. Ad hoc autem quod violentia ab actione tollatur, oportet quod patiens cooperetur agenti secundum modum suum. Unde in illis quæ nata sunt agere, requiritur quod active cooperentur; in illis autem quæ nata sunt recipere tantum et non agere, sicut materia prima, sufficit ad violentiam tollendam naturalis inclinatio ad formam; et ex hoc dicitur generatio naturalis. Sed quantum est ibi de contrarietate, tantum est ibi de violentia. Unde quando voluntas non habet actum contrarium, sicut est in pueris, non violentia voluntatis potest infundi gratia per

(z) Hæc argumenta deducuntur ex eis quæ dicit Durandus, dist. 17, q. 13. Auctor ea refert juxta formam quam ipsis dedit Petrus de Palude, dist. 14, q. 4.

(6) *Primo.* — Om. Pr.

(7) a verbis sed per talem usque ad male, om. Pr.

(a) Hoc argumentum Auctor assert prout invenit apud Petrum de Palude, dist. 14, q. 4.

(b) *Ultimo.* — Quarto Pr.

sacramentum, sicut pueris baptizatis; et sine sacramento, sicut patet in sanctificatis in utero. Sed quando voluntas habet actum suum, sicut est in adultis, requiritur actus voluntatis ad gratiam suscipiendam, animam ad datorem ordinans; et ideo ad justificationem, quae fit per infusionem gratiae, requiritur motus liberi arbitrii in Deum. » — Hæc ille. — Et similia dicit, 1<sup>a</sup> 2<sup>o</sup>, q. 113, art. 3; et similiter, *de Veritate*, q. 28, art. 3, 4 et 5. Item, in multis locis, dicit quod dispositio voluntatis ad gratiam quam confert sacramentum, non est aliud quam motus contritionis, et non aliquis ornatus, vel actus primus, distinctus a contritione; sicut patet, quarto *Quodlibeto*, art. 10, ubi dicit quod accedentes ad sacramentum poenitentiae « non perfecte contriti, virtute clavium gratiam contritionis consequuntur, dummodo non ponant obicem Spiritui Sancto; et idem est in aliis sacramentis novæ legis, in quibus gratia confertur ». Similia dicit, 4. *Sentent.*, dist. 18, q. 1, art. 3; in solutione primæ quæstiunculae; et multis aliis locis. Unde de illo ornato quem ponunt Petrus et Bernardus de Gannato et quidam alii, non multum expresse loquitur sanctus Thomas, quoad sacramentum poenitentiae, quantum potui perpendere in dictis suis.

Potest tamen dici quod in virtute, et sententialiter, et implicite, concedit talem ornatum, vel aliquam dispositionem ad gratiam, quæ se habeat per modum actus primi, et non sit motus liberi arbitrii tantum. Quod patet: quia, secundum ipsum, primus et immediatus effectus sacramentorum novæ legis est gratia sacramentalis, quæ est reparatio aliquius defectus ex peccato relictæ, per aliquod speciale auxilium Dei; et talis gratia sacramentalis est dispositio ad gratiam gratum facientem. Unde, *de Veritate*, q. 27, art. 7, in fine principalis solutionis, sic dicit: « Sacraenta non perveniunt directe et immēdiata ad ipsam gratiam de qua nunc loquimur, sed ad proprios effectus, qui dicuntur gratiae sacramentales, ad quos sequitur infusio gratiae gratum facientis, vel augmentum ejus. » — Hæc ille. — Item, art. 5, in solutione duodecimi argumenti, sic dicit: « Sicut diversæ virtutes et diversa dona Spiritus Sancti ad diversos actus ordinantur, ita etiam diversi sunt effectus sacramentorum, ut diversæ medicinæ peccati, et participationes virtutis dominicæ passionis; que tamen a gratia gratum faciente dependent, sicut virtutes et dona. Sed virtutes et dona nomen speciale habent propter hoc quod actus ad quos ordinantur, sunt manifesti; unde etiam secundum nomen a gratia distinguuntur. Defectus autem peccati, contra quos sacramenta instituuntur, latentes sunt. Unde sacramentorum effectus nomen proprium non habent, sed nomine gratiae nominantur; dicuntur enim gratiae sacramentales; et penes has sacramenta distinguuntur, sicut penes proprios effectus. Perlinet etiam isti effectus ad gratiam

gratum facientem, quæ istis effectibus conjungitur. Et sic cum istis propriis effectibus habent effectum communem, qui est gratia gratum faciens; quæ etiam per sacramentum non habenti datur, et habenti augetur. » — Hæc ille. — Item, art. 4, in solutione tertii, sic dicit: « Ultimus finis respondet primo agenti tanquam principalis principali. Sed non principaliter agentibus non attribuitur ultimus finis, sed dispositio ad finem ultimum. Et sic sacramenta dicuntur esse causa gratiae per modum instrumentorum disponentium. » — Hæc ille. — Item, 4. *Sentent.*, dist. 1, q. 1, art. 4, in solutione primæ quæstiunculae, sic dicit: « Sacraenta, inquantum sunt instrumenta divinæ gratiae justificantis, pertingunt instrumentaliter ad aliquem effectum in anima, qui primo correspontet sacramentis, sicut est character, vel aliquid hujusmodi. Ad ultimum autem effectum, qui est gratia, non pertingunt etiam instrumentaliter, nisi dispositive, inquantum hoc ad quod pertingunt effective instrumentaliter, est dispositio, quæ est necessitas, quantum in se est, ad gratiae susceptionem. » — Hæc ille. — Ibidem etiam, ante prædicta verba, sic dicit: « Alii dicunt quod ex sacramentis consequitur in anima unum quod est sacramentum et res, sicut character, vel aliquis ornatus animæ, in sacramentis non imprimentibus characterem, etc. » ut recitatum fuit, prima distinctione hujus *Quarti*, q. 1, art. 1, concl. 3. Et licet illud dicat recitando dicta aliorum, tamen per sequentia videtur illud approbare et exponere, nec ullatenus improbare. — Ex quibus, et multis aliis similibus, patet quod dispositio ad gratiam gratum facientem, quam instrumentaliter effective primo et directe sacramenta inducunt in animam, secundum mentem ejus est ipsa gratia sacramentalis; quæ quidem non est solus motus liberi arbitrii, immo aliquid se habens per modum actus primi, sive sit positivum, sive privativum. Et si tale quid vocetur ornatus, concedenda sunt dicta Petri, et neganda sunt dicta Durandi. Si autem per talem ornatum intelligat aliquid quartum, quod nec sit gratia gratum faciens, nec gratia sacramentalis, nec motus liberi arbitrii, neganda sunt dicta Petri; quia poneret pluralitatem rerum sine necessitate, et sine sufficienti ratione, et sine auctoritate.

Pro prædictis facit quod dicit sanctus Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 17, q. 1, art. 3, q<sup>la</sup> 2, in solutione tertii, ubi sic dicit: « Per baptismum etiam adulti gratiam suscipere possunt in dormiendo. Quia, quamvis non adsit actualis dispositio ex actuali motu voluntatis, adest tamen habitualis dispositio ex motu liberi arbitrii precedente. Qui quidem quandoque ad gratiam suscipiendam sufficienter disponit; et tunc gratia infunditur statim. Quandoque autem insufficienter; et tunc talis insufficientia non potest suppliri nisi per alium actum liberi

arbitrii, vel per sacramentum, quod ad gratiam dispositive operatur. Et, propter hoc, sine sacramento nullus adultus justificari potest, nisi actualliter motu liberi arbitrii existente; sed per sacramentum potest, si tamen præcessit motus liberi arbitrii prohibens fictionem. » — Hæc ille. — Ex quibus satis patet quod, secundum mentem ejus, sacramentum causat in suscipiente adulto aliquam dispositionem, quæ non est actus secundus, nec motus liberi arbitrii. Item, 3 p., q. 62, art. 2, sic dicit: « Sacraenta ordinantur ad quosdam speciales effectus necessarios in vita christiana: sicut baptismus ordinatur ad quamdam specialem regenerationem, qua homo moritur vitiis, et sit membrum Christi; qui quidem effectus est aliquid speciale præter actus potentiarum animæ. Et eadem ratio est in aliis sacramentis. Sicut ergo virtutes et dona addunt super gratiam communiter dictam, quamdam perfectionem determinate ordinatam ad proprios actus potentiarum; ita gratia sacramentalis addit super gratiam communiter dictam, et super virtutes et dona, quoddam divinum auxilium ad consequendum sacramenti finem. Et per hunc modum gratia sacramentalis addit super gratiam donorum et virtutum. » — Hæc ille. — Ex quibus apparet quod prima res, et primus et directus effectus sacramenti poenitentie, est aliquid divinum auxilium, disponens ad gratiam gratum facientem, quæ est finis sacramenti; quod nec est actus liberi arbitrii, nec actus alicujus virtutis aut doni, et consequenter quod non est ipsa contritio interior, cum illa sit quidam actus virtutis poenitentie.

Quis autem sit primus et directus effectus sacramenti poenitentie et aliorum, ostendit sanctus Thomas, 3 p., q. 65, art. 1, ubi sic dicit: « Sacraenta ordinantur ad duo: scilicet ad perficiendum hominem in his quæ pertinent ad cultum Dei secundum religionem vitæ christianæ, et etiam in remedium contra defectum peccati. Utroque autem modo convenienter ponuntur septem sacramenta. Vita enim spiritualis conformitatem habet ad vitam corporalem, sicut et cætera corporalia similitudinem quamdam habent spiritualium. In vita enim corporali dupliciter quis perficitur: uno modo, quantum ad propriam personam; alio modo, per respectum ad totam communitatem societatis in qua vivit, quia homo naturaliter est animal sociale. Respectu autem sui, perficitur homo in vita corporali dupliciter: uno modo, perse, acquirendo scilicet aliquam perfectionem vitæ; alio modo, per accidens, scilicet removendo impedimenta vitæ, puta ægritudines, vel aliquid hujusmodi. Per se autem perficitur corporalis vita tripliciter. Primo quidem per generationem, per quam homo incipit esse et vivere; et loco hujus, in spirituali vita, est baptismus, qui est spiritualis regenerationis, secundum illud ad Titum 3 (v. 5): *Per flavacrum regenerationis*, etc. Secundo,

per augmentum, quo aliquis perducitur ad perfectam quantitatem et virtutem; et loco hujus, in spirituali vita, est confirmatio, in qua datur Spiritus Sanctus a filio robor; unde dicitur discipulis jam baptizatis, Lucæ ult. (v. 49): *Sedete in civitate quousque induamini virtute ex alto*. Tertio, per nutritionem, qua conservatur vita in homine et virtus; loco hujus, in spirituali vita, est Eucharistia; unde dicitur, Joan. 6 (v. 54): *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis*, etc. Et hæc quidem sufficerent homini, si haberet et corporaliter et spiritualliter impassibilem vitam. Sed quia homo interdum incurrit infirmitatem corporalem, et spiritualem, scilicet peccatum, ideo necessaria est homini curatio ab infirmitate (x). Quæquidem duplex est. Una quidem est sanatio, quæ sanitatem restituit; et loco hujus, in spirituali vita, est poenitentia, secundum illud (Psalm. 40, v. 5): *Sana animam meam, quia peccavi tibi*. Alia autem est restitutio valetudinis pristinæ per convenientem dictam et exercitium; et loco hujus, in spirituali vita, est extrema unctio, quæ removet peccatorum reliquias, et hominem paratum reddit ad finalem gloriam obtinendam; unde dicitur, Jacob. cap. 5 (v. 15): *Et si in peccatis sit, dimittentur ei*. Persicitur autem homo in ordine ad totam communitatem dupliciter. Uno modo, per hoc quod accipit potestatem regendi multitudinem, et exercendi actus publicos; et loco hujus, in spirituali vita, est sacramentum ordinis, secundum illud Hebræor. cap. 7 (v. 27), quod sacerdotes hostias offerunt non solum pro se, sed etiam pro populo. Secundo, quantum ad naturalem propagationem; quod fit per matrimonium, tam in vita corporali quam in vita spirituali, eo quod est non solum sacramentum, sed naturæ officium. — Ex his etiam patet numerus sacramentorum, secundum quod ordinantur in remedium contra defectum peccati: quia baptismus ordinatur contra parentiam vitæ spiritualis; confirmatio contra infirmitatem animi, quæ in nuper natis invenitur; Eucharistia contra labilitatem animi ad peccandum; poenitentia contra peccatum actuale post baptismum commissum; extrema unctio contra reliquias peccatorum, quæ scilicet non sunt sufficienter per poenitentiam sublate, aut ex ignorantia, aut ex negligentia; ordo contra dissolutionem multitudinis; matrimonium in remedium contra concupiscentiam personalem, et contra defectum multitudinis, qui per mortem accidit. » — Hæc ille. — Similia dicit, 4. *Sentent.*, dist. 2, q. 1, art. 2. Ex quibus patet quod primus et directus effectus sacramenti poenitentie, et ejus prima res, est sanatio peccati actualis. Quo quidem potius dicitur reparatio quam ornatus. Potest tamen dici ornatus, eo modo loquendi quo justificatio impii vocatur renovatio et sanatio, ut ostendit san-

(x) ab infirmitate. — ad infirmitatem Pr.

ctus Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 17, q. 1, art. 1, in solutione tertiae quæstiunculae, ubi sic dicit: « *Justitiae rectitudo, metaphorice sanitas animæ dicitur, et novitas ipsius: eo quod sanitas commensuratio-nem debitam in partibus corporis importat, novitas autem integratatem et virtutem et decorum habet; et patet quod hæc omnia rectitudo potentiarum animæ, quæ justitia dicitur, continet per similitudinem. Sed quia res aliqua non est ita uni similis quin etiam aliis possit assimilari, inde est quod ea quæ metaphorice dicuntur, non ita convenienter uni quin etiam aliis convenire possint, sicut leo meta-phorice et Deus et diabolus dicitur. Unde sanitas et novitas per similitudinem integratatem gratiæ signi-ficare possunt, quæ per culpam tollitur. Unde culpa etiam similitudinarie dicitur vetustas et lan-guor animæ. Et etiam possunt significare integrati-tem naturæ, quam tollit poena, quæ etiam vetustas et languor dicitur. Sed quia culpa est causa poenæ, ideo vetustas in vetustate, et languor in languore includitur, sicut effectus in causa. Patet ergo quod ipsa justificatio, per quam gratia acquiritur et culpa tollitur, renovatio et sanatio dici potest; quamvis etiam ablacio poenæ renovatio et sanatio dici possit. » — Hæc ille.*

Sed oritur dubium ex predictis. Si enim proximus effectus et primus sacramenti pœnitentiae est sanatio, vel justificatio, tunc videtur secunda conclusio falsa, quæ dicit contritionem, vel pœnitentiam interiorem, esse primam rem sacramenti pœnitentiae; et similiter tertia, quæ dicit quod remissio peccatorum est ultima res et ultimus effectus sacra-menti. — Sed dicendum est quod remissio peccato-rum, et sanatio, et renovatio, potest sumi tripliciter. Uno modo, pro ipsa actuali mutatione de statu peccati ad statum justitiae, quæ dicitur actualis justificatio et sanatio; et sic est ultima, vel saltem secunda res sacramenti pœnitentiae. Secundo modo, pro termino ad quem illius mutationis, qui est justitia, sanitas et gratia; et sic est tertia et ultima res sacramenti hujusmodi. Tertio modo, pro prin-cipio activo vel passivo interiori disponente ad illam mutationem; et sic pœnitentia interior, cum aliquo absoluто virtute sacramenti causato, est prima res hujus sacramenti; et potest dici sanatio peccati, et si non formaliter, tamen causaliter. Illud autem additum pœnitentiae interiori, et per sacramentum causatum, seorsum acceptum, vel simul sumptum cum interiori pœnitentia, potest dici ornatus et prima res sacramenti pœnitentiae. Ubi sciendum est quod, cum pœnitentia interior sit prima pars hujus sacramenti, ipsa, secundum essentiam suam, et quoad productionem suam et inceptionem, non potest esse prima res hujus sacramenti, aut ejus effectus: quia idem non est effectus sui ipsius, nec aliquod totum integrale efficit suam primam par-tem, nec posterior pars priorem. Sed verum est

quod posterior pars totius potest dare aliquod complementum priori parti, sicut anima corpori, et forma suæ materiæ. Et per hunc modum pœnitentia exterior, quæ est sacramentum et non res, potest perficere pœnitentiam interiorem tripliciter: primo modo, augendo et intendendo eam, et faciendo de attritione contritionem; secundo, formando eam per gratiam et charitatem; tertio, dando ei virtutem sanandi peccatum. Et sic interior pœnitentia dicitur prima res exterioris pœnitentiae. Sed ornatus de quo fit sermo, est prima res exterioris pœnitentiae, tan-quam significatum et causatum ab ea, non solum quoad secundam perfectionem aut virtutem, sed etiam secundum essentiam suam. Ideo iste ornatus est essentialior effectus sacramenti pœnitentiae quam pœnitentia interior, quæ non est effectus nisi secun-dum quid et quoad ejus accidentalia. Similiter prius natura efficitur et causatur ornatus a sacra-mento pœnitentiae, quam pœnitentia interior for-metur aut sit effectus sacramenti; immo forte ornatus iste habet aliquam causalitatem super pœnitentiam interiorem quoad ejus complementum et for-mationem, sicut primus et essentialis effectus ali-qualiter est causa sequentium effectuum. Et bene stat quod utrumque istorum potest dici prima res hujus sacramenti, vocando primam rem illud quod est res et sacramentum, licet una istorum sit prior alia aliquali ordine. Et similiter verum est quod peccati remissio, vel sanatio, est ultima res hujus sacramenti, non simpliciter, sed inter effectus quos sacramentum attingit instrumentaliter effective; gratia vero est ultima res ad quam non attingit, effective, sed solum dispositive. Vel forte, sicut ornatus et interior pœnitentia dicuntur prima res sacramenti, sic remissio peccati et gratia gratum faciens possunt dici secunda et ultima, licet inter eas sit ordo, et aliter se habeat sacramentum ad causandum unam quam aliam. Potest enim dici ultima res quidquid est res et non sacramentum. Puto autem quod sicut prima res sacramenti bapti-smi, quæ est character, non imprimitur nisi per actualem susceptionem baptismi aquæ, sed res ultima baptismi percipi potest per solum propositum et desiderium baptismi, sicut ostendit sanctus Thomas, quarta distinctione *Quarti*, quæst. ult., art. 3, quæ 2, 3 et 4; sic prima res sacramenti pœnitentiae, quæ dicitur ornatus, non suscipitur nisi per actualem susceptionem sacramenti pœni-tentiae, sed ultima vel media res sacramenti pœnitentiae percipi potest per solam contritionem; cum proposito et desiderio sacramenti. Et ideo pœnitentia interior, sive sit attritio, sive contritio, officiarius disponit ad gratiam cum actuali susceptione sacra-menti, quam sine illa: quia ibi est duplex dispo-sitio, scilicet contritio, et ornatus; et ultraque est dispositio non solum passiva, immo quælibet est aliqualiter activa instrumentaliter respectu termini

a quo remissionis peccati et sanationis et justificationis. Et ad hunc sensum intelligo dicta sancti Thomae, 4. *Sentent.*, dist. 17, q. 2, art. 5, in solutione primæ questiunculae, ubi sic dicit : « Contritio potest dupliciter considerari : vel in quantum est pars sacramenti, vel in quantum est actus virtutis. Et utroque modo est causa remissionis peccati, sed diversimode : quia in quantum est pars sacramenti, primo operatur ad remissionem peccati instrumentaliter, sicut de aliis sacramentis in prima distinctione patuit; in quantum autem est actus virtutis, sic est quasi causa materialis remissionis peccati, eo quod est dispositio quæ est necessitas ad justificationem; dispositio autem reducitur ad causam materialem, si accipiatur dispositio quæ disponit materiam ad recipiendum; secus autem de dispositione agentis ad agendum, quia illa reducitur ad genus cause efficiens. » — Hæc ille. — Similia dicit, 3 p., q. 86, art. 6, ubi sic dicit : « Pœnitentia est virtus secundum quod est principium quorundam actuum humanorum. Actus autem humani qui sunt ex parte peccatorum, materialiter se habent in sacramento pœnitentiae. Omne autem sacramentum producit effectum suum non solum virtute formæ, sed etiam virtute materie : ex utroque enim est unum sacramentum. Unde sicut remissio culpe fit in baptismo non solum virtute formæ, sed etiam virtute materie, scilicet aquæ, principalius tamen virtute formæ (α), ex qua et ipsa aqua virtutem recipit; ita etiam remissio culpe est effectus pœnitentiae, principalius quidem ex virtute clavium, quam habent ministri, ex quorum parte accipitur id quod est formale in hoc sacramento; secundario autem ex vi actuum pœnitentis, tamen prout hi actus aliqualiter ordinantur ad claves Ecclesie. Et sic patet quod remissio culpe est effectus pœnitentiae secundum quod est virtus, principalius tamen prout est sacramentum. » — Hæc ille. — Et si dicitur contra hoc, quod ipse, in praesenti distinctione, q. 2, art. 1, q<sup>ta</sup> 4, in solutione secundi et tertii, expresse dicit quod pœnitentia exterior, quæ est sacramentale signum, vel ipsa (β) confessio, nullo modo gratiam causat, sed solum verba quæ a sacerdote absolvente proferuntur; — dicitur quod intelligendum est quod ipsa confessio seorsum accepta, sine absolutione, non causat aliquo modo gratiam; nec remissionem peccati, causalitate sacramentali; sed confessio, adjuncta absolutione, causat dispositive remissionem peccati, et gratiae infusionem. Hoc enim ipse ponit expresse, dist. 17, q. 3, art. 5, in solutione primæ questiunculae; et similiter, q. 2, art. 5, q<sup>ta</sup> 4, in solutione primi, dicens : « Solus Deus est causa efficiens principalis remissionis peccati. Sed causa dispositiva potest esse ex

nobis. Et similiter causa sacramentalis : ~~quia formæ~~ sacramentorum sunt verba a nobis prolata, quæ habent vim instrumentalem gratiam inducendi, qua peccata remittuntur. » — Hæc ille.

Ex predictis omnibus patet quod sacramentum pœnitentiae actu susceptum producit instrumentaliter in suscipiente aliquam dispositionem ad remissionem peccati et infusionem gratiæ; quæ non est motus liberi arbitrii. Et si illa vocetur ornatus, concedenda sunt verba Petri; quæ non directe procedunt contra conclusionem, sed indirecte, quia scilicet sanctus Thomas assimilans primam rem sacramenti pœnitentiae, quæ est res et sacramentum, non facit in praesenti distinctione expressam mentionem de tali dispositione. Sed hoc non obstat, propter duo : primo, quia, ut dictum est, gratiæ sacramentales, quæ disponunt ad gratiam gratum facientem, non habent propria nomina; secundo, quia ex aliis dictis ejus potest concludi talis dispositio, potissime cum dicit quod adultus per sacramentum potest sufficienter disponi ad gratiam sine actuali motu liberi arbitrii. Item, quia, cum sacramentum pœnitentiae aliquam novam dispositionem efficiat quando non ponitur obstaculum, non autem efficit illam quæ est actus liberi arbitrii propriæ loquendo, ut ostensum est, oportet quod efficiat aliam; et illa est ornatus. Rursus, quia, ut alias (dist. 17, q. 2, concl. 2) visum fuit, sacramentum pœnitentiae in ficta accidente habet effectum receidente fictione, secundum eum; quod esse non posset, nisi aliquem effectum post se reliquisset, alium ab actu liberi arbitrii. Et ex multis aliis patet quod illa fuit mens ejus.

Discurrendo ergo per argumenta Petri, dicitur quod **primum argumentum** implicat aliqua salsa, vel dubia. Quorum primum est : quod alicui adulto sufficienter dispositio per actum proprium, datur gratia per sacramentum; et tamen per sacramentum effectus est de attrito contritus; ideo indiget alia dispositione præter contritionem. Hoc enim videtur implicare : quia, si habet contritionem, est sufficienter dispositus per actum proprium; si vero indiget alia dispositione, non est sufficienter dispositus; quod est contradicatio. Item, quia Durandus et alii oppositi partis dicent quod in tali casu sacramentum non inducit novam dispositionem, sed perficit præcedentem, quæ imperfecta erat; et hoc non aliter, nisi intendendo (α) eam; et faciendo de attritione contritionem, sine additione alicujus ornatus distincti ab actu secundo liberi arbitrii. Et sic illa ratio parum cogeret, cum implicaret (β) contradictione. — Secundum est : quod contritio perfecta et ornatus non simul concurrant ad primam rem sacramenti pœnitentiae, sed, præsente uno illorum,

(α) a verbis sed etiam usque ad formæ, om. Pr.  
(β) ipsa. — Om. Pr.

(α) intendendo. — intelligendo Pr.  
(β) implicaret; — impliceat Pr.

aliud deest. Hoc enim non oportet. Quia quanto perfectius est sacramentum quoad omnem sui partem, tam ex parte materie et suscipientis quam ex parte formae ministri, tanto perfectiorem causat effectum sacramentalem. Constat autem quod sacramentum pœnitentiae cuius pars est perfecta contritio, perfectius est. Ergo primus effectus sacramentalis erit perfectior, scilicet ornatus; attento quod nulla incompossibilitas est inter contritionem et ornatum, et ambo simul juncta perfectius disponunt ad gratiam quam alterum tantum. — Tertium est, quod ornatus est dispositio ad gratiam sacramentalem, et non ad gratiam gratum facientem. Hoc enim non videtur valere. Tum quia, sicut in sacramentis imprimentibus characterem idem est character quod gratia sacramentalis, nec differunt nisi forte sicut actus primus et actus secundus; sic ita videtur esse ex sacramentis imprimentibus ornatum. Tum quia sacramenta pertingunt efficaciter directe ad gratiam sacramentalem, sine dispositione media. Tum quia gratia sacramentalis est dispositio ad gratiam gratum facientem; et ideo quod disponit ad primam, disponit ad secundam. Dicendum ergo quod ornatum recipit tam contritus quam attritus, quam etiam fictus, dum tamen fictio non evacuet essentiam sacramenti, ut finaliter dicit Petrus, et alias dictum est, dist. 17, q. 2. Cætera dicta Petri in primo argumento stare possunt.

**Ad secundum** dicitur quod omnia ibidem dicta stare possunt, praeter hoc quod videtur innuere, quod consimilis ornatus imprimatur in omnibus sacramentis non imprimentibus characterem. Hoc autem falsum est. Nam ornatus impressus in sacramento pœnitentiae sortitur quandoque effectum in ipsa susceptione sacramenti, quandoque vero non tunc, sed recedente fictione, ut alias (dist. 17, q. 2) dictum est. Secus est de ornatu vel dispositione impressa in sacramento Eucharistiae, sicut ostendit sanctus Thomas, quarta distinctione hujus, q. 3, art. 2, q<sup>ta</sup> 3, in solutione tertii argumenti. Si vero non ita intelligat Petrus, conceditur quod dicit.

**Ad tertium** dicitur quod, si arguens large et communiter vocet ornatum omnem dispositionem ad gratiam, aliam a motu liberi arbitrii, conceditur totum argumentum et omnia contenta in eo. Si vero intendat distinguere inter characterem et ornatum, et velit astruere quod sacramenta imprimentia characterem simul cum hoc imprimant alium ornatum, negatur: quia ipse character est sufficiens dispositio ad gratiam, si omnis fictio aut contraria indispositio amoveatur, ut alias (α) dictum fuit. Nec oportet alium ornatum in sacramentis characterizantibus ponere: quia etiam ornatus non ita disponit ad gratiam, quod, eo posito, statim adsit gratia, nec remota fictione, ut patet ex dictis, dist. 17.

(α) Cfr. dist. 1, q. 1, art. 3, § 3, III, ad 2<sup>um</sup> (in presenti volum., pag. 32).

**II. Ad argumenta Durandi.** — **Ad primum** Durandi contra easdem conclusiones, dicitur quod, si major intelligatur de illo quod est res et sacramentum actu, et non solum in potentia vel aptitudine, concedenda est. Sed tunc minor ad illum sensum negatur: quia pœnitentia interior, pro illa mensura durationis qua præcedit absolutionem, non est res et sacramentum pœnitentiae in actu, sed solum in potentia vel aptitudine; et ideo non oportet quod presupponat pœnitentiam exteriorem in actu positam tanquam causam. Dicitur tamen quod nunquam est vera pœnitentia interior, nisi cum presuppositione exterioris pœnitentiae et absolutionis, quoad intentionem et desiderium, etsi non quoad executionem. Unde sanctus Thomas, 3 p., q. 84, art. 5, in solutione secundi, sic dicit: « Ex quo aliquis peccatum incurrit, charitas, fides et misericordia non liberant hominem a peccato sine pœnitentia. Requirit enim charitas quod homo doleat de offensa in amicum commissa, et quod amico reconciliari studeat. Requirit etiam ipsa fides ut per virtutem passionis Christi, quæ in sacramentis Ecclesiae operatur, quærat justificari a peccatis, etc. » Simile dicit, presenti distinctione (q. 2, art. 1, q<sup>ta</sup> 2, ad 1<sup>um</sup>), ut recitatum est in probatione secundæ conclusionis.

Concordat huic solutioni Petrus, dicens (dist. 14, q. 1) quod « sicut, licet in omni sacramento sint ista tria, non tamen uniformiter (quia, in quibusdam sacramentis, illud quod est sacramentum tantum, sunt sola verba, aliquando res alia; et similiter id quod est res tantum, non est unum in omnibus sacramentis); ita res et sacramentum non est idem nec eodem modo se habens in omnibus sacramentis (α). Quia, in sacramentis imprimentibus characterem, res et sacramentum sequitur sacramentum non solum in proposito, sed in facto; et similiter in sacramento Eucharistiae; in aliis vero sequitur vel causatur ab eo, vel actu, vel proposito, sicut hic. Vel potest dici quod pœnitentia interior non est sacramentum nisi quando conjungitur confessioni et absolutioni, a quibus habet complementum; maxime quando est attritio et fit contritio, quia sic sequitur exteriorem ut effectum causam. » — Hæc Petrus; et concordat cum dictis sancti Thomæ in probatione secundæ conclusionis. — Ibidem etiam dicit Petrus, quod « ipsa interior pœnitentia est res et sacramentum. Quod probatur. Quod illud quod causatur et significatur ab actu exteriore qui est sacramentum, et ulterius causat et significat alium effectum ultimum (β) et principale, dicitur esse res et sacramentum. Sed hujusmodi est pœnitentia interior: quia consistens significat se pœnitere; et, cum hoc, ipsa confessio et absolutio, habita in re et in voto, est causa actus

(α) a verbis ita res usque ad sacramentis, om. Pr.  
(β) ultimum. — Om. Pr.

interioris, non secundum essentiam, sed magis e converso, sed secundum efficientiam, quia ab illa habet virtutem sacramentalem, sine qua non valeret. » — Hæc ille.

De prædictis sanctus Thomas, quarto *Quodlibeto*, art. 10, sic dicit : « Saeramenta dupliciter operantur : uno modo, secundum quod exhibentur actu; alio modo, secundum quod habentur in voto. Et hoc quia sacramenta operantur ut instrumenta divinæ misericordiæ justificantis; Dei autem est respicere ad cor hominis, secundum illud 1. *Regum*. 16 (v. 7) : *Homines vident ea que patent, Deus autem intuetur cor.* Et ideo, quamvis res naturales non agant nisi præsentialiter adhibitæ, sacramenta tamen agunt etiam secundum quod sunt in voto; sed plenius sacramentalem effectum inducunt quando actu exhibentur; sicut patet in baptismo. Nam catechumenus, si sit adultus, et habeat baptismum in voto, jam consecutus est effectum baptismi quantum ad emundationem a peccato, et consecutionem gratiæ, quæ est proprius effectus baptismi; sed quando actu baptismum suscipit, consequitur plenius quosdam sacramentales effectus, quia suscipit characterem et remissionem totius pœnæ. Si quis tamen esset qui non prius haberet baptismum in voto quam actu baptizaretur, sicut præcipue patet in parvulo, simul recipit per baptismum gratiam remittentem culpam, et omnem alium effectum sacramenti. Et hoc etiam continget in adulto, si simul cum baptizatur votum baptismi habere inciperet. Et idem est etiam in sacramento pœnitentiae, quod consummatur in absolutione ministri absolvientis. Cum enim aliquis actu absoluitur, consequitur plenarie sacramenti effectum; sed si, antequam absolvatur, habeat sacramentum in voto, quando scilicet proponit se subjicere clavibus Ecclesiæ, jam virtus clavium operatur in ipso, et consequitur remissionem culpe. Si quis tamen in ipsa absolutione sacerdotis inciperet habere votum sacramenti, culpa ei dimitteretur per gratiam, quæ infunditur in hoc sacramento, sicut in aliis sacramentis novæ legis. Unde contingit quod aliqui non perfecte contriti, virtute clavium gratiam contritionis consequuntur, dummodo non ponant obicem Spiritui Sancto. Et idem est in aliis sacramentis novæ legis, in quibus gratia confertur. Videtur tamen esse differentia inter baptismum et pœnitentiam : propter hoc quod sacramentum pœnitentiae semper exhibetur adultis, in quibus ut plurimum contrito præcedit tempore confessionem et absolutionem ; baptismus autem multoties confertur pueris, in quibus votum sacramenti non præcedit. Apparet autem omnino siñile, si etiam baptismus adhiberetur adultis. » — Hæc ille.

Ex quibus omnibus patet quod illud quod est res et sacramentum in pœnitentia, potest tempore præcedere id quod est sacramentum tantum : non quod

pro tunc sit actualiter significatum, cum pro fune non sit nec fuerit signum; est tamen significatum aptitudine, licet autem non sit pro tunc significatum sensibiliter. Potest tamen esse signum actu alicujus posterioris effectus. Et similiter potest esse actu res et effectus sacramenti : quia sacramentum non solum causat ut est actu appositum, immo ut est actu desideratum, ut patet ex dictis. Unde argumentum non probat nisi quod desint aliqui respectus signi vel significati, non autem quod desit ejus respectus causa vel effectus.

Potest tamen circa hoc dubitari. Quia, cum causa et effectus in actu simul sint, 2. *Physicorum* (t. c. 37), mirum videtur quod sacramentum exterius, quod nondum est actu realiter, sit causa efficiens effectus realis in actu; præsertim cum sacramentum agat per virtutem sibi influxam, cuius non est capax non ens, nec ens rationis, nec actus intellectus aut voluntatis, saltem ens quod non habet aliud esse nisi esse intellectum aut desideratum. — Sed dicendum quod Deus, qui est effectuum sacramentalium agens principale, potest agere per instrumentum sacramenti, sive illud sit actu in esse reali naturæ debito, sive sit in esse intellectu vel desiderato, et eamdem vel similem virtutem imprimere, et eumdem effectum producere. — Quod si objicitur quod, si Deus influit virtutem instrumentalem enti quod solum habet esse intellectum vel desideratum, cum ens intellectum vel desideratum, ut sic, non sit aliud ab actu intellectus aut voluntatis, vel, si aliud addat, hoc non sit nisi solus respectus rationis, videtur quod dicere quod sacramentum in esse intellectu vel desiderato agat, non est aliud dicere nisi quod illa intellectio vel desiderium agat, et non illud quod intelligitur aut desideratur, quamdiu non habet aliud esse nisi desideratum vel intellectum (z); — dicitur quod ipsa intellectio vel desiderium sacramenti potest tripliciter considerari : primo modo, in se; secundo modo, ex parte sui subjecti; tertio modo, ex parte objecti. Et quia talis efficacia non competit sibi ex prima nec ex secunda, sed ex tertia consideratione, ideo dicitur quod sacramentum quod est objectum talis desiderii vel intellectus, agit prout habet esse intellectum vel desideratum, sicut finis, antequam habeat esse reale, movet efficientem, prout habet esse desideratum. Credo tamen quod talis efficacia non univoce attribuitur sacramento, cum dicitur agere et actu suscepimus, et in proposito vel voto habitum; sed analogice.

Ad secundum contra easdem conclusiones, dicit Petrus (ibid.), quod « talis ornatus non est potentia, nec habitus, sed dispositio, non ad agendum, sed ad patientium vel recipiendum. Sieut enim per actum contritionis est homo dispositus naturaliter ad haben-

(z) sed. — Ad. Pr.

dum gratiam gratum facientem, ita per istum ornatum disponitur ad recipiendum gratiam gratum facientem et sacramentalem. Et per istum ornatum habemus nos bene, non ad agendum, sed ad recipiendum gratiam. Et est dispositio necessaria et necessitans, non simpliciter, sed sub conditione. Supposito enim (α) quod in suscipiente sacramentum non sit contritio, tunc est necessaria haec dispositio ad gratiam gratum facientem; alias non est necessaria, nisi ad gratiam sacramentalem, si differat. Similiter, supposito quod suscipiens sacramentum non sit fictus, est dispositio necessitans, non quod ipsum Deum necessitet; sed quia ex Dei voluntate necesse est gratiam infundi. » — Hæc Petrus.

Ad tertium dicit (ibid.) quod « non solum iste ornatus non manet amissa gratia, sed nec manet quamdiu manet gratia: quia, cum non imprimatur nisi ut sit dispositio ad receptionem gratiae, et non ad retentionem, vel receptionem intensionis gratiae, recepta gratia, vel intensa, evanescit. Unde non est habitus de difficili mobilis; sed est dispositio transitoria, sicut est etiam ipse actus contritionis, in cuius supplementum maxime est hic ornatus. Quo supposito, non est necessarius ad saluteñ, quamvis esset necessarius ad gratiam sacramentalem; quia sola gratia gratum faciens sufficit ad salutem. — Quod autem subjungit arguens, quod gratia ornat animam, ergo frustra ponitur; — dicendum quod, praeter gratiam, multa alia ponuntur ad ornatum animæ. Tamen iste ornatus dicitur ornare animam dispositive, quia disponit ad gratiam, quæ est nitor animæ, et præcedit eam in fieri et in esse naturaliter, sive duret in instanti, sive in tempore imperceptibili; quia sicut virtus sacramentorum transitoria est, sic iste ornatus; in quo differt a charactere. Sed tamen non superfluit quamdiu est, sicut non superfluit medicina disponendo ad salutem. — Posset tamen dici quod ornatus est manens (6), sicut character. Nec propter hoc sequitur quod pœnitentia non possit iterari sine injuria sacramenti, sicut baptismus. Quia quando sacramentum imprimuit talem dispositionem, quod per illam statim natus est sequi totalis et plenus effectus sacramenti, tunc sine injuria non potest tale sacramentum iterari: sicut in baptismo, cuius character disponit ad remissionem omnis culpæ et pœnæ, quantum est de se. Et similiter est de aliis imprimentibus characterem suo modo. Non sic autem de aliis, puta pœnitentia: quia per unam confessionem non sequitur perfecte remissio quoad pœnam et sequelam; unde quia de propitiatu actualium non debet homo esse sine metu, sine injuria pœnitentia repetitur. Sed de originali non debemus esse in metu post

baptismum, etc. Unde quando de eodem aliquis bis constitetur, non aliis ornatus numero imprimitur, sed primus intenditur. Et forte est unus specie in uno sacramento, et intenditur per ipsius iterationem. Et, pari ratione, remittitur per illius retardationem, et forte corruptitur per nimiam retardationem; sicut habitus, qui acquiritur ex actibus principaliter, ipsis ex toto cessantibus, corruptitur (α); ita et ornatus, qui acquiritur ex susceptione sacramenti instrumentaliter. Unde character, qui non potest amitti et deleri, per consequens, sicut non potest corrupti, ita nec remitti; quia remissio est via ad corruptionem; nec per consequens intendi. Sed ornatus potest intendi et remitti; ergo corrupti, et iterando acquiri. » — Hæc Petrus.

In quibus sunt aliqua dubia. Primum est quod ornatus impressus in sacramento pœnitentiae solum sit dispositio ad recipiendum, et non ad agendum; si intelligat quod nullo modo ad agendum; nec effective, nec formaliter. Hoc enim non videtur: quia, ut supra (in respons. ad object. Petri) dictum est, cum gratia sacramentalis in sacramento pœnitentiae sit quedam spiritualis sanatio, distincta a quolibet actu virtutis et doni, non est inconveniens ponere quod per sacramentum pœnitentiae instrumentaliter conferatur aliquid se habens per modum actus primi, quod sit effectivum illius spiritualis sanationis, saltem quoad remissionem termini a quo, puta reatus, vel habitus peccati, aut reliquiarum, et vulnerum, et hujusmodi. Et hæc videtur mens Beati Thomæ: nam, ut superiorius (ibid.) fuit recitatum, ipse dicit quod prima res sacramenti pœnitentiae operatur ad sanationem peccati non solum dispositive, sed effective. Quod si dicatur quod ipse loquitur de contritione, — non valet. Quia, si ornatus est ponendus praeter contritionem, quasi prima res sacramentum, vel tanquam res et sacramentum, multo fortius talis activitas potest competere ornatus, qui est actus primus, quam contritioni, qui est actus secundus: ut dicamus quod gratia sacramentalis pœnitentiae includit ornatum, quasi actum secundum; et haec duo sunt sufficiens dispositio ad gratiam gratum facientem. — Secundum dubium est de hoc quod dicit, quod iste ornatus non est necessaria dispositio, nisi ad gratiam sacramentalem, etc. Ut enim dictum est, gratia sacramentalis non requirit aliam dispositionem præcedentem: quia non includit intrinsece in sacramento pœnitentiae nisi ornatum per modum actus primi, et spiritualem sanationem per modum actus secundi; quorum, neutrum prærequirit aliquam dispositiōnem præviā ad recipiendum, licet ornatus sit dispositio prævia sanationi, non quidem passiva, sed activa. — Tertium dubium est cum dicit quod talis ornatus non est necessarius in habente contritionem.

(α) enim. — Om. Pr.

(6) manens. — ordinans Pr.

(α) a verbo ipsis usque ad corruptitur, om. Pr.

Hoc enim non est universaliter verum : quia, licet sine tali ornatu possit induci gratia gratum faciens, si adsit contritio, non tamen gratia sacramentalis integra, nec ita intensa gratia gratum faciens, sicut cum isto ornatu, nec ita perfecta remissio peccati quoad culpam et reatum et peccati reliquias. — Quartum dubium est de isto ornatu : utrum sit manens, vel transiens? Constat enim quod, si ponendus sit in sacramento pœnitentiae, ille non semper transit, nec desinit, transeunte sacramento exteriori; alias nunquam cessante fictione haberet effectum transenente sacramento, ut dictum est, dist. 47; quia ideo, secundum sanctum Thomam, sicut communicans, recedente fictione, non recipit effectum sacramenti Eucharistie, quia sacramentum illud in accidente factio nihil relinquit, quod postea possit operari, recedente fictione. Ideo ornatus qui imprimitur in sacramento pœnitentiae, non statim transit, sicut ornatus Eucharistie; sed quandoque durat per magnum tempus; donec recesserit factio, et gratia sacramentalis completa sit, et gratia gratum faciens sit infusa. Et tunc verisimile est quod cessat : quia, si adhuc duraret, tunc semper regulatiter in secunda absolutione major gratia infundetur, vel per plures gradus et intensiores augeretur quam in prima, supposito quod gratia prima non fuerit interrupta per peccatum. Tenet consequentia: quia ibi concurrerent due dispositiones ad gratiam, scilicet primus ornatus adhuc durans, et alius novus ornatus, vel novi gradus superadditi primo; et sic, si in prima absolutione accepit quatuor gradus gratiae, in secunda accipiet ad minus quinque, et in tercia sex, et sic de aliis; quod est falsum. — Quintum dubium est : utrum ornatus unius sacramenti, puta pœnitentiae, sit ejusdem speciei cum ornatu alterius, puta extremæ unctionis, vel Eucharistie? Et dicendum quod non : quia gratiae sacramentales sunt specificè distinctæ; tales autem ornatus sunt essentiales partes gratiarum sacramentalium, ut dictum fuit. — Cætera dicta Petri possunt stare in veritate.

**III. Ad aliud argumentum.** — Ad ultimum (z) respondet Petrus (dist. 14, q. 4), dicens quod « ponere de peccato ad expiationem, ut vitetur gehenna et habeatur gloria, et cum proposito confitendi, non est de jure naturali, quo haec sunt ignota, sed divino, quo haec sunt revelata. » — Haec ille.

Ad argumentum contra quæstionem, patet responsio per prædicta in probatione secundæ conclusio-  
nis; quia ibi continetur ejus solutio.

Et haec de quæstione sufficient. De qua benedictus Deus. Amen.

(z) *ultimum.* — *quartum Pr.*

## QUÆSTIO II.

### UTRUM PECCATA PER PŒNITENTIAM DIMISSA IN ALIQUO CASU REDEANT IN EO QUI RECIDIVAT

**B**ESTERUM, circa eamdem distinctionem, queritur: Utrum peccata per pœnitentiam dimissa in aliquo casu redeant in eo qui recidivat.

Et arguitur quod sic. Quia ponatur quod aliquis, post veram contritionem de peccatis præteritis, cadat in peccatum, et moriatur statim; constat quod ad infernum descendit. Ergo de peccatis que erant sibi dimissa, ibi punietur; cum non sit sibi tota poena remissa. Ibi enim punietur aeternaliter, quia in inferno nulla est redemptio. Ergo similem reatum incurrit ei quem antea habebat. Et ita videtur quod in isto casu peccata dimissa redeant. Et similis est ratio de illo qui confessus est, et non satisfecit plenarie.

In oppositum arguitur. Quia nullus incurrit peccati maculam, vel reatum, nisi ex commissione ipsius peccati. Sed ponens, antequam (z) ficeret simplicem fornicationem, non habebat maculam vel reatum homicidii, quod sibi jam dimissum erat; nec postea fornicando homicidium committit. Ergo non reddit in homicidium sibi dimissum, quantum ad culpam, neque quantum ad reatum.

In hac quæstione erunt tres articuli. In primo ponentur conclusiones. In secundo, objections. In tertio, solutiones.

### ARTICULUS I.

#### PONUUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

**Prima conclusio:** Quod nullum peccatum per pœnitentiam semel dimissum, nunquam reddit in se idem numero quoad identitatem actus.

**Secunda conclusio:** est quod nullum peccatum per pœnitentiam dimissum, reddit idem numero quoad identitatem culpe vel maculae.

**Tertia conclusio:** est quod nullum peccatum semel per pœnitentiam dimissum, reddit idem numero quoad identitatem rentus.

**Quarta conclusio:** est quod peccatum per pœn-

(z) *antequam.* — *quamquam Pr.*